



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ, perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa**


Et In octo Partes ... distincta ...

De Ivstitia Et Contractibvs

**Vindalium, 1646**

Cap. IV. De voto, quo aliquid extrinsecum Deo promittitur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38850**



## CAPVT IV.

*De Voto, quo aliquid extrinsecum Deo  
promittitur.*

## CONCLUSIO I.

**I**Nter actus externos Religionis nu-  
meratur etiam votum, per quod ho-  
mines Deo aliquid promittunt, quod  
tenentur reddere.) De hac materia agit  
S. Doctor 2. 2. quæst. 88. per 12. arti-  
culos, quorum 1. docet, tria ad votum  
ex necessitate requiri 1. deliberationem.  
2. propositum voluntatis. 3. promissionem,  
in qua perficitur ratio voti. Duo autem  
alia interdum superaddi, ad quandam  
voti confirmationem; nempe pronun-  
tiationem oris, & testimonium aliorum.  
Vnde ait votum, iuxta Magistrum, esse  
testificationem quandam promissionis  
spontaneæ, quæ Deo, & de his quæ sunt  
Dei, fieri debet.

Nota, ad valorem voti requiri, 1. vo-  
luntatem se obligandi, quia sine illa fi-  
cta est promissio. 2. non tamen propo-  
situm exequendi, etsi illud vt plurimum

cum voluntate se obligandi concurrat. 3. requiri deliberationem formalem, quæ sufficit ad peccatum mortale. 4. necessarium item esse, vt votum ab extrinseco, per metum cadentem in virum constantem, non extorqueatur.

Articulo 2. docet, votum semper debere fieri de meliori bono: votum enim est promissio Deo facta, quæ proinde debet esse de re voluntaria, & Deo grata: vnde de nullo illicito, aut indifferenti debet fieri votum, sed solum de aliquo actu virtutis. Et quia necessitas voluntatem excludit, hinc non cadit sub voto, quod habet necessitatem absolutam, vel necessitatem finis; adeoque propria voti materia est maius bonum, quod scilicet dicitur tale, per comparisonem ad bonum quod communiter est de necessitate salutis.

Ex qua doctrina collige, ad materiam voti tria requiri 1. vt sit in nostra libera facultate, adeoque non de re impossibili, quod fit, vt non valeat votum, nunquam peccandi venialiter. 2. vt sit opus bonum: nam votum de peccato mortali, mortale est; de veniali, veniale; de indifferenti, inutile, nisi ob aliquam circumstantiam, res aliàs indifferens incipiat esse bona. 3. vt opus quod voto

promittitur, non impediatur maius bonum, qualia sunt opera consilij. Hinc inualidè vouet, si quis votum emittat contrahendi matrimonium; quia castitatem seruare est per se loquendo, opus maioris perfectionis, quàm matrimonio copulari.

Articulo 3. docet, hominem teneri ad obseruationem voti, quia ad fidelitatem hominis spectat, vt soluat id quod promissit; maxime autem debet homo fidelitatem Deo, tum ratione dominij, tum etiam ratione beneficij suscepti. Cæterum in responsione ad 2. aduertit, cum qui vouit monasterium aliquod intrare, debere dare operam quantum potest, vt ibi recipiatur. Et quidem si ille intendit principaliter se obligare ad Religionem, & consequenti verò elegit hunc locum, tanquam sibi magis congruentem, si non potest ibi recipi, tenetur aliam Religionem intrare. Si autem principaliter intendit se obligare ad hanc Religionem vel ad hunc locum, propter specialem complacentiam huius Religionis, vel loci, nõ tenetur aliã Religionem intrare, si ibi recipi nõ potest.

CONCLUSIO III. Vouere est actus homini expediens, ad patriam spectans, meritum operis augens, habensque

solemnitatem quandam in susceptione Ordinis facti & in professione Religionis approbaræ.) Hoc totum traditur à S. Doctore quatuor articulis sequentibus: nam art. 4. docet, expedire homini voto se se obligare, quia votum est promissio Deo facta; aliter autem promittimus homini, aliter Deo, homini propter eius utilitatem, Deo propter nostram, in quantum vouendo, voluntatem nostram immobiliter firmamus ad id, quod expedit facere. Quod si quis obiciat pericula ex voto orta, S. Doctor respondet ad 2. quando periculum nascitur ex ipso facto, tunc factum illud non esse expediens, puta quod aliquis per pontem ruinosum, transeat fluuium. Esse tamen, si tantum periculum oritur ex defectu hominis: sicut expediens est ascendere equum, quamuis periculum imminet cadenti de equo, alioqui oporteret ab omnibus bonis cessare, quæ per accidens ex alio euentu possunt esse periculosa. Periculum autem vouenti non imminere ex ipso voto, sed ex voluntate hominis, qui voluntatem mutat transgrediendo votum.

Art. 5. docet, vouere esse propriè actum Patriæ, & Religionis, nam votum est quædam promissio Deo facta, & pro-

missio nihil aliud est quàm, ordinatio quædam eius quod promittitur, ad eum cui promittitur. Vnde votum est ordinatio quædam eorum quæ quis vouet, in diuinum cultum seu obsequium; & hæc ordinatio proprium est opus Patriæ, seu Religionis.

Notat autem in responsione ad 1. quædam vota pertinere ad Religionem, ratione solius promissionis, vt dum quis vouet continentiam, vel ieiunium; alia verò etiam ratione rei promissæ, quæ est voti materia, vt dum quis vouet orationem, vel sacrificium. Et in responsione ad 2. promissionem factam sanctis, vel prælatis cadere sub voto materialiter, in quantum scilicet homo vouet Deo se impleturum, quod sanctis, vel prælatis promittit.

Articulo 6. docet, esse laudabilius & magis meritorium, facere aliquid ex voto, quàm sine voto: primò quia vouere est actus patriæ, quæ est præcipua inter virtutes morales, ac proindè actum meliorem, & magis meritorium habet. Secundò quia ille qui vouet aliquid, & facit, plus se Deo subiicit, quàm ille qui solum facit: quia se Deo subiicit, non modò quantum ad actum, sed etiam quantum ad potestatem, quia de cætero  
non

non potest aliud facere. Tertio quia per votum voluntas immobiliter firmatur in bonum, quod pertinet ad perfectionem virtutis: sicut peccare mente obstinata, aggrauat peccatum, & dicitur peccatum in Spiritum sanctum. Nec dicas opus factum ex necessitate, esse minus gratum Deo, quam quod fit liberè: hoc enim verum est de necessitate physica, ab extrinseco iniecta, non autem de morali necessitate, spontè & liberrimè suscepta; cuiusmodi est obligatio voti.

Articulo .7. docet, votum solemnizari per susceptionem sacri Ordinis; & per professionem certæ regulæ. Rationem affert, quia solemnitates non conueuerunt adhiberi, nisi quando aliquis totaliter mancipatur alicui rei: non enim solemnitas nuptialis adhibetur, nisi in celebratione matrimonij, quando vterque coniugum sui corporis potestatem alteri tradit. Et similiter voti solemnitas adhibetur quando aliquis per susceptionem sacri Ordinis diuino ministerio applicatur. Et in professione certæ regulæ, quando per abrenunciationem sæculi, & propriæ voluntatis, statum perfectionis assumit.

CONCLUSIO III. Non ad omnes spectat validè vouere. ) Ita de Iust.

K

sumitur ex articulo 8. vbi S. Thomas docet, alteri subiectum non posse vouere, sine sui superioris consensu, in his in quibus illi subiicitur. Quod probat, quia votum est, quædam promissio Deo facta: nullus autem potest per promissionem, se firmiter obligare ad id quod est in potestate alterius, sed solum ad id, quod est in sua potestate. At quicumque est subiectus alteri, quantum ad id in quo est subiectus, non est suæ potestatis, vt faciat quod vult, sed dependet ex voluntate alterius. Et ideo non potest per votum, se firmiter obligare in his, in quibus alteri subiicitur, sine consensu sui superioris.

Nora 1. ex responsione ad 2. ex quo homo liber venit ad annos pubertatis, cum esse suæ potestatis, quantum ad ea quæ pertinent ad suam personam: putà quod obliget se Religioni per votum, vel quod matrimonium contrahat; non esse autem suæ potestatis, quantum ad dispensationem domesticam: vnde circa hoc non potest aliquid vouere, quod sit ratum, sine consensu patris. Seruum autem, quia est in potestate domini, etiam quantum ad personales operationes, non posse voto se obligare ad



Religionem, per quam ab obsequio domini sui abstraheretur.

Nota 2. ex responsione ad 3. Religiosum subditum esse Prælato, quantum ad suas operationes, iuxta professionem regulæ, & ideò nullum votum Religiosi esse firmum, nisi sit de consensu prælati: sicut nec votum puellæ existentis in domo, nisi sit de consensu patris, nec vxoris, nisi sit de consensu viri, Et ex responsione ad 4. licet prædictorum votum non sit firmum, sine consensu eorum quibus subiiciuntur; esse tamen licitum, quia subintelligitur conditio, si superioribus placuerit, vel non renitentur.

Articulo autem 9. multa dicit de votis puerorum. 1. puerum ante pubertatis annos, si non habeat vsum rationis, nullo modo posse ad aliquid voto se obligare. 2. si ante annos pubertatis attingit vsum rationis posse quidem quantum in ipso est, se obligare, sed votum illius posse irritari per parentes, quorum curæ subiectus manet. 3. quantumcunque tamen sit doli capax, ante annos pubertatis non posse obligari voto solemnī Religionis, propter Ecclesiæ statutum, quod respicit id quod in

pluribus accidit. 4. post annos pubertatis, posse iam se voto Religionis obligare, vel simplici, vel solemni, absque voluntate parentum.

CONCLUSIO IV. Interdum legitimè potest dispensari in voto ) Rationem tradit S. Doctor art. 10. quia vouens sibi quodammodo statuit legem, obligans se ad aliquid, quod est secundum se, & vt in pluribus bonum. Potest tamen contingere, quòd in aliquo casu sit vel simpliciter malum, vel inutile, vel maioris boni impeditiuum: quod est contra rationem eius quod cadit sub voto: & ideò necesse est quòd in tali casu determinetur, votum non esse seruandum. Et quidem si absolutè determinetur, aliquod votum non esse seruandum, dicitur esse dispensatio voti: si autem pro hoc quod seruandum erat, aliquid aliud imponatur, dicitur: commutatio voti: vnde minùs est, votum commutare, quàm in voto dispensare, vtrumque tamen est in potestate Ecclesiæ.

Circa iam dicta Nota 1. obligationem voti generatim quatuor modis tolli posse. 1. per irritationem factam à superiore, cuius consensus requirebatur ad validitatem voti. 2. per Epiicciam

seu interpretationem, quando scilicet ob circumstantias occurrentes, prudenter iudicari potest votum non obligare. 3. per dispensationem, qua legitimam habens auctoritatem, aliquem liberat ab obligatione voti. 4. per commutationem, quæ tunc habet locum, quando materia voti mutatur in aliam.

Nota 2. dubium esse, an sit in Ecclesia potestas proprie dispensandi in voto. Et ratio difficultatis est quia de lege naturali, & diuina est, ut quis uotum Deo factum impleat, si potest. At non potest Ecclesia in iure naturali, aut diuino proprie dispensare, sed tantum illud interpretari. Adde quod non apparet, quomodo possit homo derogare iuri, quod Deus in rem voto promissam acquisiuit.

Communis tamen sententia oppositum statuit, tum quia Christus generatim promissit Prælati Ecclesiæ, quidquid soluerint super terram, fore solutum in cælis: quod debet intelligi de omni vinculo, quod homo erga Deum contrahere potest: tum quia cum Christus dederit Ecclesiæ potestatem relaxandi à vinculo culpæ, & pœnæ, nulla est ratio, cur ei denegauerit potestatem dispensandi in votis, iuramentis, aliisque

eiusmodi obligationibus erga Deum contractis : tum quia omninò spectat ad suauem fidelium gubernationem , vt potestas illa sit in Ecclesia : tum denique quia Ecclesia sæpè dispensat in votis , quod inualidè , aut illicitè fieri , à viro Catholico affirmari nequit.

Neque obstant rationes pro contraria sententia allatæ , non quidem prior , quia etsi Ecclesia non possit facere , vt quis non teneatur exequi votum , manente obligatione per votum contracta : potest tamen tollere eiusmodi obligationem , & ita vouentem liberare à debito implendi votum. Non etiam posterior , quia non est inconueniens quòd homo possit nomine Dei , & auctoritate ab illo accepta , derogare iuri quod Deus ipse in rem voto promissam acquisiuit.

Nota 3. quæri etiam posse , an possit Ecclesia dispensare in voto solemnè. S. Thomas artic. II. docet 1. Ecclesiam posse dispensare in voto solemnè continentia , quod Ordini sacro annexum est : quia debitum continentia non est essentialiter annexum Ordini sacro , sed tantum ex statuto Ecclesie. 2. Ecclesiam non posse dispensare in voto castitatis , per professionem Religionis

solemnizato, quod probat 1. ex cap. Cùm ad monasterium, de statu Monachorum, ubi Innocent. III. ait. Abdicationem proprietatis, & custodiam castitatis adeo annexam esse regulæ monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit indulgere. Probat 2. quia debitum continentiae est essentielle statui Religionis, per quem homo abrenunciat saeculo, totaliter Dei seruitio mancipatus. Quod non potest simul stare cum matrimonio, in quo incumbit necessitas procurandæ vxoris, & prolis, & familiæ, & rerum quæ ad hoc requiruntur.

Verùm alij communiter, extra scholam, S. Thomæ, docent, summum Pontificem posse validè, & licitè legitima causa intercedere, dispensare in voto solemnii castitatis religiosæ, quod satis probari potest; tum ex praxi, quam damnare nefas est; tum quia nihil est quod dispensationem possit impedire in voto prædicto. Et quidem id non impedit, quòd sit votum castitatis, quia omnium consensu, potest dispensare Pontifex in simplici voto castitatis. Neque etiam quòd si votum solemne, quia votum annexum Ordini sacro est etiam

solemne, & tamen Pontifex in eo dispensare potest. Adde quòd solemnitas non est coniuncta voto, nisi ex statuto Ecclesiæ; quare potest Pontifex ea non obstante, in voto dispensare.

Ad fundamentum verò oppositæ sententiæ, sumptum, ex autoritate Innocent. III. Respondetur, Pontificem, vel non loqui definitivè, tanquam ex cathedra; vel nihil aliud velle, quàm, Monachum ut sic, seu quatenus Monachum non posse absolvi à votis, quia hæc sunt essentialia statui Monachali. Inde tamen non sequitur, non posse Pontificem dispensare in votis cum Monacho, sed tantum quòd si cum eo quoad hoc dispensaret, iam ille desineret esse Monachus. Et hoc etiam ut summum, colligitur ex ratione quæ subiiciebatur ut consideranti perspicuum fiet.

Dices, res per consecrationem in esse sacro constituta, non potest amittere consecrationem, quamdiu integra manet, ut patet in calice, templo, &c. At Religiosus constituitur in esse sacro Religiosi, per consecrationem, seu benedictionem, cum in hac voti solemnitas consistat. Ergo qui semel Religiosus

DE IVSTITIA. CAP. IV. 225  
est, non potest à statu illo excidere, adeoque nec cum illo in votis dispensari potest. Respondeo minorem negandam esse, non enim religiosus quis constituitur per aliquam benedictionem, sed per tria vota substantialia, quæ emittuntur in Religione ab Ecclesia approbata. Et quamvis sic constitueretur, ille auctoritate Põtificis e tali statu decidere posset, ex probabili sententia eorum qui dicunt, posse calicem consecratum non habere illud esse morale sacrum, quod ex præterita consecratione resultat, si ad vsus profanos Pontificis auctoritate deputeretur.

CONCLUSIO V. Ad dispensationem, vel commutationem voti requiritur Prælati auctoritas, Ratio afferitur art. 2. quia votum est promissio Deo facta de aliquo, quod fit Deo acceptum. Quid sit autem in aliqua promissione acceptum ei cui promittitur, ex eius pendet arbitrio. At Prælati in Ecclesia gerit vicem Dei, & ideo in commutatione, vel dispensatione votorum requiritur Prælati auctoritas, qui determinet quid sit Deo acceptum. Monet autem S. Doctor, omnem dispensationem petitam à Prælato, debere fieri ad honorem Christi, in cuius persona

dispensat; vel ad utilitatem Ecclesiæ, quæ est eius corpus.

Quæri hic potest 1. penes quos sit potestas dispensandi in votis. Respondeo 1. summum Pontificem habere potestatem dispensandi in omnibus votis, ut ex dictis colligi potest. 2. Episcopum posse dispensare in omnibus votis, exceptis quinque illis vulgaribus, quæ Pontifici sunt reseruata, nempe castitatis perpetuæ, Religionis, perigrinationis Hierosolymitanæ, Romanæ, & Compostellanæ. Unde potest dispensare in votis non nubendi, non fornicandi, non petendi debitum seruandi castitatem ad tempus, suscipiendi sacros ordines, ingrediendi Religionem strictiorem, ita ut vouens, minus strictam amplecti, vel in ea manere possit. Imò si grauis causa urgeat, nec pateat aditus ad Pontificem, potest Episcopus etiam in quinque prædictis votis dispensare, ut fert communis sententia. 3. Superiores Regularium exemptorum posse similiter cum suis inferioribus dispensare quoad vota, quamuis talis dispensatio vix locum habeat, quoad praxim, eo quòd Regularium superiores possunt irritare vota, quæ sine eorum consensu, ab inferioribus emittuntur. 4. Parochos, aliosue



Sacerdotes inferiores non habere potestatem dispensandi in votis, nisi ex speciali privilegio, aut facultate à legitimo superiore delegata. §. ut quis possit dispensare in votis reservatis, non sufficere quòd habeat generalem facultatem dispensandi in votis omnibus; quia quæ speciatim reservata sunt, ea specialem & expressam concessionem requirunt, ut fert communis Canonistarum, & Theologorum sententia.

Quæritur 2. quid sentiendum sit de potestate commutandi vota. Respondeo 1. posse vouentem propria auctoritate votum commutare, in id quod evidenter melius est; quia quòd opus est melius, eò magis Deo gratum acceptumque est, sicque melius finis voti obtinetur. In dubio tamen, an opus sit melius, commutatio facienda non est propria auctoritate. At neque fieri debet in votis Papæ reservatis, quia eiusmodi commutatio specialiter prohibita est; nisi quis velit commutare vota illa in professionem vitæ Religiosæ: talis enim commutatio licita est, ut docet S. Thomas in responsione ad 1. probaturque tum ex cap. scripturæ, de voto, ubi dicitur, reum voti fracti cum non ha-

beri, qui temporale obsequium in perpetuam Religionis observantiam commutat; tum quia particulare in vniuersali includitur, at omnia alia vota sunt particularium quorundam operum, & per Religionem homo totam vitam suam Dei obsequio deputat.

Respondeo 2. vt commutatio voti fiat in æquale, requiri auctoritatem superioris, tum quia iura in votorum commutatione eam exigere solent, quod maximè debet intelligi de mutatione in æquale; quia vt votū mutetur in melius, nō requiritur talis auctoritas; vt autem mutetur in minus bonū, ad hoc necessaria est quædam dispensatio, saltem partialis: quare Prælati auctoritas nullo modo esset necessaria, ad commutationem votorum, si non requiretur in casu de quo agimus,

Tum quia fidelitas per se exigit, vt quod promissum est, soluatur in propria specie, quare non licet ad arbitriū vouentis, mutare determinatam voti materiam, in aliā quæ sibi videtur æquè bona; sequela patet, quia cūm hæc non magis conducat ad gloriam Dei, vel utilitatē vouentis non est cur alteri præferatur. Aliundè verò laudabilius est per se

DE IUSTITIA. CAP. IV. 229  
loquendo, seruare fidelitatē, quā non  
seruare. Quare soluendum est in specie,  
quod promissum est.

Dices, eodē argumento probari posse,  
commutationem in melius illicitam  
esse. Sed contra, nam quando aliquid  
voueo, in hoc voto rationabiliter sub-  
intelligitur conditio illa, nisi aliquid  
melius, Deoque gratius exhibeam: idem  
autem dici nequit de ista conditione,  
nisi aliquid æquale tribuam. tum prop-  
ter iam dicta, tum quia vt patet ex cō-  
muni sensu, & vsu hominum, promissio  
facta de re aliqua determinata, non cē-  
setur facta vel de illa, vel de quacun-  
que alia re æquali.

CONCLUSIO VI. Quædam  
obseruanda sunt in votorum dispensa-  
tione, & commutatione.) Quod vt me-  
lius percipiatur dico 1. dispensationem  
non debere dari sine iusta causa, aliàs  
fore non modo illicitam, sed etiam ir-  
ritam, nulliusque valoris: quia non po-  
test inferior dispensare sine causa, in  
lege superioris. Vnde dispensatio di-  
stinguitur ab irritatione, quæ valida est,  
quando superior etiam sine causa, Vo-  
tum subditi rescindit; quia hoc potesta-  
tem illius non excedit.

Porro iustæ dispensandi causæ sunt. 1. modus faciendi votum, nempe ex leuitate, aut metu, vel in tenera ætate. 2. magna difficultas votum exequendi, vt si qui, vouit castitatem, & graues carnis tentationes experiatur. 3. magnum nobilis alicuius familiæ bonum, vt si vnicus Principis hæres castitatem vouit.

Dico 2. commutationem voti in melius, non requirere aliam causam: quia vt votum licitè mutetur, sufficit quod fiat aliquid Deo gratius & acceptatius, quam quod promissum erat. Commutationem verò in æquale, causam exigere, quia in ea interuenit aliqua violatio fidelitatis, ad quam honestandam postulatur causa iusta, saltem leui qualis est quòd spes sit vouentem alacrius votum suum, in materia æquali, ad quam magis affectus est, redditurum, vel quid simile.

Dico 3. accedente causa ad dispensandum sufficienti. posse Prælatum vel alium qui habet potestatem delegatã, simpliciter dispensare. Tutius tamen e vt commutatione, quia sæpe contingit, causam quæ allegatur non sufficere ad dispensationem, sufficere autem ad commutationem. Vnde videmus in dispensationibus votorum, quæ:

Romæ obtinentur, onus aliquod imponi, saltem vt plurimum.

Dico 4. Confessarios qui habent potestatem commutandi vota, debere ea commutare in aliquid æquale, vt ipsum nomen commutationis sonat. Quatamen in re non est nimis scrupulosè agendum, quia dummodo commutatio bona fide fiat in id quod spectatis circumstantiis æquè bonū apparet id sufficiet vt commutatio censeatur valida, & licita.

Dico 5. etsi per se loquendo, magis expediat vota commutare in similia; verbi causa, votum personale, in onus personale: votum reale in onus reale; & votum mixtum in onus mixtum: licet tamen non seruare similitudinem illā, adeoque votum personale commutare in onus reale, sicut & votum reale, in onus personale, &c. Quia sic seruatur æqualitas, seu similitudo moralis, quod in re morali sufficit. Cæterum votum personale dicitur, quod est de aliqua actione personali vouentis, vt ieiunium, oratio. votum reale est, quo promittitur aliquid distinctum ab actione vouentis, vt pecunia: at vero votum mixtum dicitur, quod includit actionem hominis, & reales sumptus, vt votum regnandi.